1

QUÆSTIONES MEDICÆ
SEX,

AB

ILLUSTRISSIMIS VIRIS
R. D. ANTONIO MAGNOL, Decano Venerando, HENRICO HAGUENOT, JACOBO LAZERME, FRANCISCO DE SAUVAGES, CAROLO SERANE, FRANCISCO DE LAMURE, FRANCISCO IMBERT, R. D. MAGNOL, Coadjutore, Regis Consiliariis, Medicis & Professoribus meritissimis.

PROPOSITÆ

IN AULA EPISCOPALI MONSPELIENSI coram Illustrissimo ac Venerabili D. D. FRANCISCO GABRIELE DE POMIÉS DE ST. BONNET, Doctore Sorbonico, Abbate Sancti Policarpi, & Vicario Generali.

Pro Regiis Cathedris Chimiæ & Botanices in unam conjunctis ex Decreto Sanctioris Consilii, vacantibus in Universitate Aquisextanâ.

Per obitum R.R. DD. STEPHANI BERTIER & JOSEPHI BEGUE, Regis Consiliariorum & Professorum meritissimorum.

Quas Deo favente, & auspice Deiparâ, propugnabit in Augustissimo Monspeliensis Apollinis Fano, triduo integro manè & sero, diebus 6, 7 & 8 mensis Julii anni 1753.

JOSEPHUS-LUDOVICUS GOYRAND, Aquisextanus, D. M. M.



MONSPELII,
Apud JOANNEM MARTEL, Regis, Occitaniæ Comitiorum, & Universitatis Typographum. 1753.

DEO
UNI ET TRINO,
VIRGINIQUE
DEI-PARÆ;

D. D. D. C.

JOSEPHUS-LUDOVICUS GOYRAND.

330



QUÆSTIO PRIMA.

AN DISSENTERIÆ CURANDÆ CONVENIANT vomitoria, & quænam è regno vegetabili ſint potiſſimùm eruenda?



NTER varias alvi fluxus ſpecies vix ullam diſſenteriâ pejorem reperies. Hanc definimus frequentem, plerùmque pauco ſanguine intermixto cruentam, rariùs purulentam materierum mucoſarum dejectionem, ventris torminibus ſemper ſtipatam. Ex hâc definitione attendenti pateſcit quibus hæc ſymptomatibus ab aliis inteſtinorum affectibus tutiſſimè diſtingui queat. His nonnulla alia cum benè multis morbis communia ſymptomata ſe adjungunt: virium nempè proſtratio, ſitis, quandòque ineunte præſertim diſſenteriâ vomitus, plerùmque febris, &c. Diſſenteria modò à ſolo inteſtinorum vitio oritur. Modò ab alio morbo febre nempè putridâ, malignâ, ſoboleſcere obſervatur. Nùnc levibus facilique negotio evaneſcentibus ſymptomatibus, nùnc graviſſimis multumque periculi portendentibus ſtipatur. Plerùmque paucos tantùm corripit, aliquotiès epidemicè in caſtris potiſſimùm graſſans, imò & ſolo (*a*) halitu è fæcibus hoc morbo affectorum expirante contagioſa, immaniter debacchatur; indè fluunt multiplices Diſſenteriæ differentiæ.

(*a*) Degnerus hiſtoria medica de diſſenteriâ paſſim.

Causam hujus continentem reponendam censemus, in humore quodam acri nerveam intestinorum tunicam, vellicante imò & inflammante, nisi inflammationis jam natæ soboles non extiterit, citatiorem horum peristalticum motum ciente. Hâc enim positâ videntur Dissenteriæ symptomata non difficulter posse explicari. Ac 1°. Quidem crebræ erunt ac iteratæ dejectiones, quòd ad sui contractionem frequentiùs stimulabuntur hoc acri humore irritata intestina, undè contentorum ad podicem appulsus celerior. 2°. Cruentæ, vasa enim tùm adaucto sanguinis impetu impensiùs dilatata, tùm ab acribus & interiùs & exteriùs impetita dilacerabuntur, undè sanguinis intrà intestinalem tubum effusio. Quod de nonnullis minoribus vasis intelligendum est. 3°. Mucosæ observabuntur. Iteratis nempè intestinorum contractionibus mucus villosam tunicam naturaliter obducens abradetur, quibus pariter intestinalis humor, remorâ utpotè in vasis suis cohibitus, & adaucto partis calore spissior, exprimetur; porrò uterque alvinarum fæcum in dissentericis maximam partem constituit. 4°. Torminibus stipabuntur. Nequè enim contrahi possunt musculares intestinorum fibræ, quin subjectam tunicam nerveam exquisitiori, præ inflammatione, sensu donatam premant: neque alvinæ fæces per intestina inflammata provolvi quin doloris sensum inducant. Febrem verò nùnc à materiâ putridâ è primis viis in sanguinem devectâ, nùnc à vehementiâ torminum vel ab ipsâ inflammatione ad certum usquè provectâ gradum pendere arbitramur.

Inter causas Dissenteriæ remotas jure meritò annumerabis quæcumque sanguini majorem vel acrimoniam vel spissitudinem conciliant. Tales sunt horœi fructus præsertìm immaturi; fermentati liquores potissimùm nondùm absolutâ fermentatione copiosiùs epoti, frigus æstuante corpore admissum, aëris constitutio, &c.

Inflammatio & tormina Dissenteriam periculosam faciunt, eò tamen periculum majùs quo ambo illa intensiora, majùs adhùc si adjunctam habeant febrem, præsertìm exacerban-

tem

tem putridam, & à fortiori malignam. Timenda inteſtinorum exulceratio, multò magis gangræna. Hanc enim effectu neceſſariò mors ſequitur.

Diſſenteriæ mederi non poteris niſi inflammationis ſymptomata mitiges, materierum acrimoniam retundas, tormina compeſcas, & peccantes ſuccos tandem elimines. Prioribus indicationibus ſatisfacient venæ ſectiones è brachio, diluentia, refrigerantia, edulcorantia, mucilaginoſa, formâ potionis, fomenti, enematis, adhibita. Tertiæ narcotica eâque non parcâ manu adminiſtrata. Quibus variis fracta torminum & dejectionum ferociâ catharticis mitioribus utendum; vel potiùs niſi vetent ſanguinis exiturientis copia, intenſior febris, exquiſita nervorum tenſio, temperamentum bilioſum, ad emetica mediocris energiæ confugiendum eſt: Præſertìm cùm in ventriculo ingentem nidulari ſaburram denotant, lingua conſpurcata, oris fœtor, & febris exacerbationes. Sed hæc medicamina è regno vegetabili deſumenda ſunt; utpotè quod præparatis chimicis mitiora eſſe docuerit experientia. Clamat eadem radicem braſilienſem omnibus aliis ex eodem regno depromptis palmam præripere. Non tantùm enim morbi fomitem eliminat; ſed & adſtringentis vices gerit, ſivè effectus ille terræ ipſius abſorbenti, utì nonnulli volunt, tribuendus ſit, ſivè reſinoſâ ſuâ parte, quòd multis magis arridet, glutinoſas materies acribus fœtas ſolvendo eundem effectum præſtet; undè etiàm fractâ doſi aliis adſtringentibus ſociata ſæpiſſimè adhibetur. Ex quibus concludimus.

Ergò Diſſenteriæ curandæ conveniunt vomitoria & patet quodnam è regno vegetabili ſit potiſſimùm eruendum.





QUÆSTIO SECUNDA.

An Epilepsiæ Pulvis Algaroth?

EPILEPSIA est subitanea sensuum omnium abolitio, aut imminutio summa cum totius corporis, aut nonnullarum partium convulsione, aut concussione involuntariâ, sæpiùs violentâ per paroxismos recurrens. Hinc ab insultu epileptico distingui poterit, affini quidèm morbo, attamen solâ naturæ ope evanescente, fugaci, non recurrente. Quod apprimè notandum. Vigente Epilepsiæ paroxismo sensus interni externique feriantur, vel maximè imminuuntur; totum corpus aut plures partes violentis concussionibus exagitantur, vel nonnullæ tantùm, iisque mitioribus. Quæ diversitas perfectam & imperfectam Epilepsiam constituit. Aliæ occurrunt Epilepsiæ divisiones in idiopathicam, simpathicam, &c. Quarum explicatio ex infrà dicendis elucescet.

Inæqualis spirituum animalium ad nervos motibus voluntariis famulantes appulsus, naturali tamen major, cum eorumdem parcâ admodùm aut etiàm nullâ in nervis organis sensuum prospicientibus secretione, causam Epilepsiæ continentem ponit. Non aliud enìm innuere videntur symptomata morbi essentialia, videlicèt subitanea sensuum feriatio aut imminutio summa, cum convulsionibus aut motibus convulsivis conjuncta. Hanc verò proximè inducit inæqualis, vel constans nervorum memoratorum in suâ origine compressio à sanguine cerebrum irrorante; cui ansam sæpiùs præbet sanguiferorum hujusce partis vitium organicum, sivè à parentibus transmissum, sivè congenitum, aut post nativitatem quâvis de causâ adscitum. Hæc autem vasorum cerebri organica labes paroxismis epilepti-

cis inducendis apta, ut probat apertura cadaverum, ſita eſt in diſpoſitione arteriarum anevriſmaticâ,aut varicoſâ venarum quas ſæpiùs arteriis præternaturalem pati dilatationem ob earum textum debiliorem veriſimillimum eſt. Nequè tamen hæc unica inæqualis vaſorum cerebri infarctus cauſa cenſenda eſt, cùm dentur aliæ plures repetitis obſervationibus demonſtratæ: Tubercula nimirùm in ſubſtantiâ cerebri genita, glandulæ pituitariæ intumeſcentia, ſerum cerebrum laxans ventriculos replens indèque ſubſtantiam cerebri comprimens; pus aut ſanies ichoroſa, cranii caries, exoſtoſis tabulam internam occupans, &c. His poſitis cerebri vitiis non propterea paroxiſmus inducitur, niſi inſuper ſanguini vitia accedant, quæ illius difficilem, inæqualem tamen, trans ſubſtantiam cerebri circuitum reddant; porrò difficilè vaſa cerebri permeabit ſanguis copioſior, craſſior, aut nimiùm rarefactus aut fervidior. Erunt ergò cauſæ Epilepſiæ procatharticæ quæcumque prædictis vitiis ſanguinem inficere poterunt. Tales ſunt exercitia immodica, vini liquorumque ardentium abuſus, venus immoderata, evacuationes ſolitæ ſuppreſſæ, animi mœror, &c. Imprimis pravi ſucci è primis viis in ſanguinem devecti, quibus hic aut inſpiſſatur, aut in æſtum nimium concitatur. Hactenùs de Epilepſiâ idiopathicâ. Verùm obſervatur & alia quæ ſympathica nuncupatur; quæque debetur ut plurimùm ulceribus ſinuoſis, fiſtuloſis, aut oſſibus carie tentatis, ob puris miſcelam cum ſanguine. Hinc perſæpè ſenſus auræ frigidæ in parte affectâ vel in toto corpore perceptus, Epilepſiæ ſympathicæ non rarò prodromus. Ex datâ Epilepſiæ theoriâ fluit ſymptomatum ipſius eſſentialium explicatio; quod verò ſymptomata ſpectat eſſentialibus adjungi ſolita, ut ſtertor, nonnumquàm vociferatio, ſpuma in ore, fæcum, urinæ, ſeminis excretio, nùnc faciei rubor, nùnc livor, nùnc pallor; pulſus nùnc plenus & validus, nùnc debilis & lentus, calor nùnc adauctus, nùnc imminutus, ex iis alia, motibus ſpaſmodicis, alia ſanguinis

rarescentiæ; alia ejusdem inspissationi sunt tribuenda. Epilepsia periculosa semper, utcumque ipsius accessus plerumque spontè sanabiles. Potest enim in appoplexiam aut alium affectum soporosum abire. Hæreditaria numquàm, adventitia quandoque sanabilis, modò tamen vigesimum quintum ætatis annum æger non superaverit. Sympathica curatu omnium facillima.

Duplex instituenda est Epilepsiæ curatio tempore nimirùm paroxismi & extrà paroxismum. Tempore paroxismi, si fortis non fuerit sibimet æger relinquendus; ità tantùm collocandus ut liberè spiritum hauriat, nec agitata membra à corporibus obviis lædantur; sin minùs ea usurpanda medicamina quibus appoplecticis succurritur.

Extrà paroxismum in id sedulò Medicus incumbat ut pravam sanguinis diathæsim emendet causasque foventes removeat. Itaque diætâ accuratâ, venæ sectionibus, refrigerantibus, attenuantibus appropriatis, pro re natâ adhibitis, emeticis, purgantibus, si non Epilepsiam sanare saltem mitigare, ipsius accessiones leviores aut minùs frequentes reddere satagat. Emetica præ primis cæteris palmam præripere experientia comprobat; inter quæ annumeratur Pulvis Algaroth. Verùm cùm Emeticum illud potentissimum sit, imò & acido marino regulinis partibus adhærescente, nec iteratis lotionibus separato aliquatenùs causticum, tùnc tantùm præscribendum videtur cùm in forti paroxismo alia incassùm fuêre adhibita; undè sub hoc respectu concludimus.

Ergò Epilepsiæ Pulvis Algaroth.



QUÆSTIO



QUÆSTIO TERTIA.

An morbis inflammatoriis Radix Seneka?

MORBORUM inflammatoriorum numerus & frequentia, ingens quò stipantur discrimen, varii quibus terminantur exitus, curationis difficultas merentur, ut in illis apprimè cognoscendis, iisque detegendis præsidiis quibus debellari queant, omni ope Medicus annitatur. Morbos autem inflammatorios seorsìm faciliùs noscet, si generalem priùs inflammationis historiam probè perspectam habuerit, cui igitur paucis delineandæ incumbemus.

Ut iis symptomatibus, quæ in omni tùm externâ, tùm internâ inflammatione sensibus obvia sunt, definiatur inflammatio: censemus hanc calore in parte quâdam determinatâ præternaturaliter adaucto, & dolore huic etiam parti relato, esse definiendam. Nulla est enim inflammationis species, in quâ hæc duo symptomata evidentissimè observare non liceat. Præter hæc, in inflammatione quæ exteriora corporis occupat, alia visuntur. Tensio nempè, tumor & rubor. Sed quàmquam analogiâ & aperturis cadaverum certissimè constet, hæc eadem ab internâ inflammatione pariter induci, cùm tamen ex his rubor numquàm, tensio verò & tumor plerùmque sub sensus non cadant, hìnc videntur à definitione inflammationis symptomaticâ jure meritò expungenda.

Duas generales inflammationis species statuunt Medici, ad quas omnes alias revocare solent, phlegmonodæam scilicèt, & erysipelatosam.

Fatendum tamen non paucas reperiri inflammationes, quæ ad neutram ex memoratis referri possunt, uti & etiàm dari nonnullas quæ utriusque indolem videntur sapere.

Utraque dividitur in externam & internam. Externa phlegmone his se signis manifestat tumore satis elato circumscripto, tensione magnâ, intensâ rubedine, calore, nullum acrimoniæ sensum inferente, dolore pulsatili, id est, singulis cordis contractionibus recrudescente. Interna, eâdem caloris specie, dolore pariter pulsatili, utcumque si profundiùs sita fuerit magis obscuro, naturâ educti sanguinis, &c. ab erysipelatode distinguetur. Hæc externa, tumore vix ullo, diffuso, colore rubro-roseo, calore mordaci, seu cum sensu urentis acrimoniæ conjuncto, uniformi, ut ità dicam dolore, ab alterâ discrepat. Interna autem dolore & calore huic speciei inflammationis peculiaribus.

Præter memorata symptomata alia benè multa sibi adjungit inflammatio prout in varias partes decumbit. Sic si cerebri meninges invaserit, modò delirium phreniticum, modò soporosos affectus inducit. Si organa deglutitioni famulantia adoriatur, deglutitionem, si pneumatica respirationem lædit. Si ventriculum, intestina, hepar, renes, vesicam, &c. ea omnia accersit symptomata, quæ à læsione functionum quibus hæc viscera dicantur, dependent. Porrò interna inflammatio, modò alicujus momenti fuerit, febrem comitem sibi semper adsciscit.

Pone sanguinem majori in parte determinatâ copiâ aggestum eumque, ab adauctâ vi cordis trusiva, celeriùs motum, & causam inflammationis continentem habebis. Hâc enim caloris augmentum productum iri, majorique solidis illatâ tensione, dolorem fore excitandum evidenter patet. Nec difficiliori negotio cætera inflammationis symptomata ex datâ causâ erues. Porrò hæc obstructionem sanguineam, id est sanguinis in suis vasis hærentiam necessariò supponit. Quam latè itàque patet inflammationis sedes! Poterit hæc ubicumque adsunt vasa sauguinea, &

nullibi fermè deesse probaverunt injectiones Ruischianæ, produci. Nùm verò in omnibus omninò sanguiferis? videntur venosa obstructioni sanguineæ prorsùs inepta, nisi vis exteriùs comprimens accesserit. In his enìm à strictiori in ampliorem alveum sanguis protruditur. In arteriis autem minimis in acumen desinentibus, si quâcumque de causâ, vel imminuatur diameter, vel globulorum sanguineorum crescat moles, sanguini transmittendo non facilè superandus obex exurget; undè etiàm lymphaticorum dilatata oscula globulos rubros admissura sunt.

Causæ inflammationem remotè producentes numero infinitæ, in genere revocari possunt ad ea omnia quæ sanguini lentorem, siccitatem & acrimoniam conciliant, vel nimiam solidis rigiditatem, aut etiàm laxitatem inferunt, vel ad ea tandem quæ exteriùs applicata comprimendo, corrodendo, &c. vasorum diametrum minuunt, spasticas stricturas inducunt.

Multiplex est inflammationis exitus. Resolutione, suppuratione, schirro, gangrænâ terminatur. Ex his resolutio semper nisi in externis tumoribus criticis optanda; suppuratio in internis potissimùm, induratio, gangræna, omni artis molimine præcavenda.

Symptomatibus suprà recensitis, non solùm distinguitur externa ab omni alio affectu, sed & quoquè diversa ejus species. Internam adesse tutò pronuntiabitur quotiescumque determinatæ parti dolor fixus inerit, calore intenso & febre continuâ stipatus. Quodnam verò adoriatur viscus deteget, symptoma ex istius læsâ functione oriundum.

Nullam quamtumvis levem, periculi expertem inflammationem Medicus asserat; cùm nulla sit quæ propter summam sanguinis discrasiam pessimum non possit exitum sortiri. Attamen juxtà communes naturæ leges, externa, levis, febre carens, omni periculo vacat. Interna verò semper periculosa, eòque magìs quò viscus quod adoritur, vitæ perennandæ magìs necessarium, aut exquisitiori sensu pollet.

Inflammationem quamcumque ſanare ſi velis, molem ſanguinis minuas opportet, venæ ſectionibus prudenter iteratis, rareſcentiam compeſcas refrigerantibus, acrimoniam edulcorantibus retundas, ſaburram ſæpè ſæpiùs morbi fomitem, ſummâ tamen cum cautelâ, elimines catharticis aut emeticis. Iis auxiliis, mitigatis quamplurimùm ſymptomatibus, ad reliquias inflammationis diſcutiendas nihil accomodatiùs quàm diaphoretica, inter quæ ſeligi poteſt Radix Seneka, quæ ſpecies eſt poligalæ in Virginiâ creſcentis, cujus egregii effectus, in reſolvendo ſanguine concreto inflammatorio, analogiâ primùm, deindè innumeris experimentis D. Tennent Medico Anglo in Virginiâ innotuere. Undè hanc, pleuritidis & perineumoniæ præſertìm, unicum ſpecificum dixerit; verùm cùm hæc Radix attenuans ſit energicum, videtur cum cautelâ, in his ſaltem regionibus, uſurpanda, & huic forsàn Poligalæ vulgaris noſtræ radix utpotè mitior, in benè multis caſibus foret anteponenda; undè ſub hoc reſpectu concludimus.

Ergò morbis inflammatoriis Radix Seneka.



QUÆSTIO QUARTA.

An in affectuum ſoporoſorum curatione emetica antimonialia aliis ſint præferenda, & quænam ex illis debeant ſeligi?

MORBI ſoporoſi ſic dicti quòd ſomnum præternaturalem tamquàm ſymptoma eſſentiale, & ſignum ſui pathognomonicum, adjunctum ſemper habeant, varia ſortiti ſunt nomina pro diverſo ſoporis gradu, & aliis concomitantibus

tibus symptomatibus. Sic adest appoplexia cùm subitanea ingruit omnium sensuum motuumque voluntariorum abolitio laxatis membris, & respiratione aliquatenùs ferè semper læsa. Carus quandò, è somno profundo naturali somni verâ imagine validâ vociferatione aut puncturâ excitatus æger, interrogatis non respondet, sed subitò in somnum relabitur: coma somnolentum, cùm non solùm occulos aperit, punctaque membra retrahit ut in caro, sed & interrogatis respondet. Lethargo correpti difficili negotio excitati respondent, delirant, illicò in somnum relabuntur, & febre continuâ laborant. Hi quotquot sint & alii congeneres morbi, primarii vel secundarii, simplices vel complicati, non aliam agnoscunt causam immediatam, quàm compressionem pro vario soporis gradu variam, sed semper æqualem, nervis qui motibus vitalibus non famulantur in suâ origine illatam. Hanc inferre queunt & sæpè inferunt ossa bregmatis intùs trusa, tubercula, exostoses, sanguis, pus, aqua, in cavo encephali collecta, vasorum sanguiferorum nervis incumbentium aut iis adjacentium præternaturalis dilatatio, nùnc à sanguine, plethorico, rarefacto, celeriùs moto, non raró obstructionem inflammatoriam in cerebri substantiâ producente, nùnc à sanguine lentescente pituitoso. Si ad superiora attendatur, morbos soporosos cognoscere non erit arduum. Sed non satìs est Medico morbi speciem nosse, nisi causam pariter, quantùm per artem licet, detegere satagat. Capitis exploratio, & prægressorum cognitio hunc docere poterunt, an ejus depressio, pus, aut sanguis extravasatus cerebrum comprimant: tubercula aut exostoses suspicari tantùm poterit. Serum accusandum esse denotant ægri temperamentum, faciei artuumque intumescentia, œdematosa capitis moles grandior, & præsertìm his adjuncta suturarum dehiscentia. Sanguini vasa sua prætermodùm dilatanti morbum deberi, indicant subitanea morbi invasio, prægressis capitis gravedine, membrorum torpore, oculis tenebricosis. Sed sanguinem ingurgitantem, pleorâ verâ seù copiâ adauctâ peccare arguunt, cohibita ali-

qua evacuatio notabilis, victus lautior, atro-rubicunda facies, pulsus plenus, temperamentum sanguineum. Sanguinis, plethorâ falsâ, seù rarefactione comprimentis, indicia sunt roseus faciei color, corporis calor adauctus, pulsus velox præsertìm si cum temperamento biliofo præcesserint liquorum ardentium abusus, ira longior, insolatio. &c. Infarctum dari inflammatorium, si cum signis alterutriùs plethoræ, febris continua exarserit cum delirio tutò pronuntiabis. Demùm à sanguine lentescente & pituitoso nimiùm distendi vasa cerebri eruetur ex pulsu debili & tardo, cum faciei pallore, externarum partium refrigeratione, aut calore naturali admodùm imminuto in ægris pituitoso anteà temperamento donatis.

Hos omnes morbos admodùm periculosos esse spontè patet, metus est enim nè ulterius evectâ compressione, omnis omninò nervis quibuscumque spirituum animalium influxus denegetur; undè citò machina corrueret. Attamen eò majus periculum quò profundior somnus majorque laxitas, & quò simul causa comprimens sublatu difficilior. A tuberculis, exostosibus, & sero collecto exorti, lethales necessariò sunt, in senibus, recidivam patientibus, aut alio morbo jàm fractis, cæteris paribus multò quàm in aliis pejores.

Si tollatur causa comprimens æger sanitati restituitur. Depressum itàque cranium trepani ope citò elevandum, ut sanguis vel pus educantur. Exuperans sanguinis copia venæ sectionibus in brachio talo & jugulo minuenda, multotiès etiàm iterandis, potissimùm si infarctus inflammatorius adfuerit; rarefactio sanguinis, phlebotomiâ pariter, & refrigerantibus compescenda. Tardigradus sanguinis motus in frigidis & pituitosis exsuscitandus cardiacis & præsertìm emeticis quæ miros præstant effectus, ubi primarum viarum sordes morbum fovent: quòdquidèm sæpiùs observare contingit, quàm nonnulli arbitrantur. Insuper excitatis in toto corpore succussibus, experge faciendis ægrotantibus mirè conducunt. Hæc autem medicamina ex antimonialibus vulgò desumuntur. Notandum tamen à vegetabilibus, eos quandoque produci

effectus quos mineralia negavere. Inter antimonialia verò, ubi citissimo effectu opus est vinum emeticum seligendum; quod si hoc acidum factum propinari nequeat, tartarum stibiatum solubile in mero aut potione cardiacâ dissolvatur. Si verò diuturnior expetatur actio ad materies viscidas infringendas tartarum non solubile exhibendum. Quibus irritis ad vitrum antimonii, vel pulverem algaroth Medicus confugiat; undè concludere licet.

Ergò in affectuum soporosorum curatione emetica antimonialia aliis sunt præferenda, & patet quænam ex illis debeant seligi.



QUÆSTIO QUINTA.

An Hæmoptysi curandæ prosit adstringentium usus & quorumnam selectus instituendus est, dùm ea desumuntur è regno vegetabili?

NULLUM est viscus frequentioribus gravioribusque morbis obnoxium quàm pulmo. Si ad mollem ipsius texturam, sanguinis transfluentis impetum, perpetuos inspirationis & expirationis motus, varias aëris subeuntis noxas attenderis, ratio imprompt u erit. Inter ipsius affectus Hæmoptysis singularem Medici attentionem expostulat, tùm per se, tùm quia pulmonalis phtiseos in his regionibus vulgatissimæ frequentissima est parens. A sanguinis enim sputo, puris sputum, à puris sputo tabes. *Hippo.* Si itàque sanguis per os cum tussi, respiratione plerùmque nonnihil difficili, ardoris, punctionis vel quasi rupturæ sensu, spumosus & floridus ejicitur hæmop-

thyſis ægrum afficere dicitur.

Hanc plerumque antecedunt, tenella pulmonum fabrica à parentibus ſæpiſſimè tranſmiſſa, craſis ſanguinis ad acrimoniam vergens, natæ in vaſis pulmonum lymphaticis obſtructiones; quibus cauſis vel nimiùm dilatari vaſa, vel anguſtari ſanguinis exindè circuitum intrà pulmones retardari extrà dubium eſt.

Memoratarum cauſarum effectus accelerant plethora, ſivè hæc ſuppreſſis evacuationibus ſolitis, ſivè nimiæ ingeſtorum copiæ, ſivè ſanguini abuſu, liquorum ardentium, alimentorum acrium ſalinorum, aromaticorum rarefacto debeatur, nonnullarum eruptionum cutanearum, utì eryſipelatis ſcabiei, &c. retropulſio & ad pulmones decubitus, quæcumque pulmones validè concutiunt atque exagitant, utì riſus immodicus, vociferatio, cantus diutiùs protractus, inſtrumentorum muſicorum inflatio, corporum contundentium vis pectori applicata, &c. His cauſis nonnulla pulmonalia vaſa dilacerabuntur, corrodentur. Effuſus ſanguis tùm acrimoniâ, tùm contactu ſimplici internam bronchiorum membranam exquiſitiſſimo ſenſu donatam vellicabit; undè tuſſis, ſanguinis coccinei, ſpumoſi utpotè cum aëre permixti expectoratio, &c. notandum tamen non rarò hæmophtiſes occurrere, quæ nec vaſorum rupturæ, nec eorumdem corroſioni videntur tribuendæ, ſed meræ vaſorum pulmonalium ſecretoriorum & excretoriorum dilatationi, quòd præcipuè in fœminis menſtruorum ſuppreſſionem patientibus obſervare licet.

Allatis ſignis certò innoteſcet ejectum ſanguinem è pulmonibus prodire, neutiquam verò in os ex aliis partibus confluere; quibus ſi antecedentes cauſas adjunxeris, firmiorem habebis diagnoſim.

Quanto in periculo verſentur hæmopthoici ex prægreſſis erui poteſt. Dilaceratis enìm paulò majoribus vaſis, tanta poteſt cruoris copia intrà vaſa aërea effundi, ut aëris ingreſſui omni denegato aditu, ſubitò de medio tollantur. Quòd ſi minora tantùm ſoluta fuerint metus eſt nè iis in ſuppuratum abeuntibus

abeuntibus, in phtyſim pulmonalem ſeriùs ocyùs certiſſimè lethalem conjiciantur. Fauſtiùs ominandum de illâ hæmoptyſi quæ à ſolâ prædictorum vaſorum dilatatione natales habet.

Unica quamquàm ſit in hoc morbo indicatio princeps vaſa nempè claudere, non eadem tamen ſemper in eo curando calcanda via eſt. Venæ ſectionibus namquè præcipuè inſiſtendum cùm à plethorâ verâ oritur; & præprimis ſi notabilis aliqua evacuatio cohibita fuerit. In quo caſu poſt amotum majus periculum, huic cohibitæ evacuationi reſtituendæ omni artis molimine incumbendum eſt. Si ſanguinis rarefactio accuſanda veniat, præmiſſis venæ ſectionibus, refrigerantia potiſſimùm uſurpanda; ſi autem prædominans ſanguinis acrimonia, fruſtrà alia cujuſcumque generis ſint præſidia adhibebis, niſi ad lacticinia tamquàm ad ſacram anchoram confugias. Hæc diuturno uſu mira in hoc morbo præſtant. Quibus variis auxiliis adjungi debent, non omiſſis tamen abſorbentibus, adſtringentia. Inter quæ eminent urtica, plantago, radix ſimphiti majoris, biſtortæ, tormentillæ, &c. Ac præprimis urtica cujus ſuccum egregiè conducere quotidiana experientia demonſtrat undè concludimus.

Ergò Hemoptyſi curandæ prodeſt adſtringentium uſus, & patet quorumnam ſelectus inſtituendus ſit, dùm ea deſumuntur è regno vegetabili.

 



E



QUÆSTIO SEXTA.

An Spina bifida sit morbus curabilis nec-nè, & an chemia remedia quæpiàm suppeditet ad hunc morbum radicitùs curandum vel palliandum?

FŒTUS in sinu materno variis morbis esse obnoxios, nemo estqui ambigat. Sivè enim materni humores à quibus pabulum & incrementum assumunt vitientur, sivè propter ingenitam vasorum & viscerum debiliorem fabricam, hos utcumque sanissimos in indolem tenello suo corpori nutriendo aptam convertere nequeant, sivè demùm validiores succussus patiantur, patet multifariam indè fœtus morbosè afficiendos. Nullus autem morbus est à quo ipsis in lucem editis, citius certiusque vitæ periculum immineat, quàm ab eo tumore qui spina bifida apud Medicos audit. Hoc enim vel per artem, vel spontè aperto, præsentissima indè exurgit pernicies, undè sola primo intuitu sanationis spes affulgere videbatur.

Est autem spina bifida tumor cysticus fœtubus congenitus variæ molis, varii coloris, majori in centro quàm in reliquis partibus mollitie donatus, plerumque superficie corrugatus, sic tamen ut eò crescente rugæ evanescant, quandoque suâ epidermide spoliatus, utplurimùm in lumbis sæpè etiàm in dorso, rarissimè ad nucham, & ad parrem inferiorem exteriorem ossis sacri enascens. Morbus hic de quo siluerunt omninò veteres, perfunctoriè admodùm à nonnullis recentioribus describitur. Undè cùm nondùm mihi hunc observasse contigerit, vix ac nè vix quidem impositam provinciam adimplere potuissem, nisi Illustrissimus hujusce Licæi Professor D. Imbert illius accu-

ratiſſimam deſcriptionem dediſſet, in egregio tractatu quem de tumoribus recens edidit, pluribus obſervationibus, ac præprimis duab. D. Fargeon, D. M. M. Regiæ Scientiarum Societati communicatis ſuffultam, è quibus omnibus theoriam hujuſce tumoris lege ſeveri ratiocinii elicit ſic ut ad perfectam ſpinæ bifidæ cognitionem nihil ampliùs deſiderari videatur. Ex cujus igitur opere quæ ſumus dicturi mutuabimur, quemadmodùm datam jàm deſcriptionem mutuati ſumus

Tumoris hujus cauſa continens eſt ſeri intrà ſpinalem medullam & ambientes membranas accumulatio, ejusque cum membranis coercentibus extrorsùm propulſio. Seroſam hic colluviem fieri demonſtrant obſervata, quibus conſtat ex tumore integro aquoſum laticem exſudaſſe & ex eo diſrupto magnâ copiâ effluxiſſe. Sæpè tamen in hujuſce cavo, notabiles faſciculi nervei à medullâ ſpinali emiſſi reperiuntur. Nequè credideris peculiarem inibi, hydropem gigni adeoque ſpinam bifidam inter morbos eſſentiales recenſendam. Semper eſt hydrocephali ſymptoma quod ex obſervatione præſertìm, ſecunda clariſſ. D. Fargeon ſic evincitur, ut pro demonſtrato haberi queat.

» Itaque ſi in fœtu (a) aquoſus ille latex quo in hydro-
» cephalo interno obruuntur cerebri ſubſtantia, ventriculi,
» membranæ ipſius inflectat curſum ad magnum foramen oc-
» cipitis facilis erit deſcenſui via per patentem ductum ſpi-
» nalem, ſenſim & ſine ſenſu coacervabitur liquor & tandem
» copioſo proventu diſtendet modò hìc modò illìc membra-
» nas involventes quæ ſuâ vice erumpent in cartilagineas, fle-
» xibiles facilèque dehiſcentes vertebrarum ſpinalium epiphi-
» ſes hinc excitatus tumor qui nihil aliud eſt quam ſpina
» bifida. «

En totam morbi theoriam paucis dilucidiſſimè expreſſam; è quâ facili negotio erui poteſt ſymptomatum omnium explicatio.

(a) Illuſt. D. Imbert, tract. de tum. pag. 27[illegible]

Cauſas remotas ſpinæ bifidæ eaſdem eſſe ac hydrocephali ſpontè patet, hinc ex ejus hiſtoriâ petendæ ſunt.

Semper lethalem eſſe tumorem illum docent omnia obſervata, ſeriùs tamen ocyùsve mortem infert prout ſeriùs vel citiùs aperitur. Nullam radicalem curam admittit. Hinc de palliativâ tantummodò ſollicitus eſſe debet Medicus; hæc autem in eo conſiſtit ut tumoris apertio retardetur, cavendo à nimiâ compreſſione, & à quâcumque applicatione externâ; nec hactenùs ulli chimico innoteſcit medicamentum aliquod quo poſſit vel radicitùs curari vel palliari; undè experientia freti concludimus.

Ergò Spina bifida non eſt morbus ſanabilis, nec chimia ulla remedia ſuppeditat quibus poſſit radicitùs curari vel palliari.

E R R A T A.

Pag. 6. *lin.* 15. *lege* naturali major vel minor.
Cætera Lector benevolus emendabit.